



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 20. Misericordia priùs succurrit magis egenti. Miscellanea.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

§. XIX.

Varia alia motiva.

DE comedente exivit cibus, & de forti & gressu dulcedo. Judic. 14. 14. Gracius & de tristi. Tamen de forti hoc intelligitur: quia leo fortis est feritate; & qui ferus, tristis. Et de vobis, qui pecuniam devorastis, & avaritiam, exeat misericordia: hæc est enim esca egenorum. Et de tristi exeat dulce; ut dimittatis ei, quia non habet, unde solvat. S. Ambros. l. de Tob. c. 15.

Non occideretur quisquam in die hac. 1. Reg. 11. 13. q. d. ait Carthus. sicut misericordiam consecuti sumus à Domino: sic misericordiam debemus facere proximis nostris.

Ecce homo manum habens aridam. Matth. 12. 10. Multi & nunc aridas manus habent; hoc est, immisericordes sunt, & non communicant. Sed quando sermone Evangelicò docentur; extendunt eas, & communicant. Theophylactus hic.

Canes ante mensam impastos esse non patimur; & homines extrudimus? S. Ambros. offic. 1. 3. c. 7.

Pro uno mandato divino, quod nos hortatur ad rigorem justitiæ; sunt innumerabilia, tam in veteri, quam Novo Testamento; quæ ad misericordiam nos incitant. B. Humbertus l. 75.

§. XX.

Misericordia magis egenti prius succurrit.

Misericordiâ tuâ Domine plena est terra. Pl. 118. 64. Fortasse dicas: quâ ratione dictum non est, misericordiâ Domini plenum est coelum? Licet auxiliò Domini fulciantur etiam cœlestes, tamen non tantâ ejus indigent misericordiâ, quantâ ea, quæ sunt inferiora, ac

terrenâ: non enim illa carnis involucro vestiuntur, in qua est frequentis erroris illecebra. S. Ambros. Octon. 8. hic.

Hunc cum vidisset Jesus jacentem &c. Joan. 5. 6. specialiter hunc unum affatur, & curat; quia miserabilior fuit. Dionys. Carthus.

Miscellanea.

Longanimis. Pl. 102. 8. Cassiodorus legit: *patiens, & multum misericors*: nullus enim misericors, nisi qui & patiens. Id. hic.

Non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Ol. 41. Et, id est, quia q. d. defectus scientiæ Dei, quasi luminis prædici, est causa, cur deficiat misericordia. Cornelius hic.

Et extendens Jesus manum, tetigit eum. Matth. 8. 3. Factum est hoc, ut ajunt Ambros. in Luc. Glossa Interl. Remigius, ad benignitatem Christi ostendendam; quæ nos docet; nullum proximum tædio, vel fastidio, nobis esse debere, licet miserimum. Sylveira hic.

Ut venientes ungerent Jesum. Marci 16. 1. Non ad ungendam tantum aliquam corporis partem, pedes, aut caput; sed *ut venientes ungerent Jesum*, quod est totius corporis complexio. Tu quoque, si te induas viscera misericordiæ, liberalem, benignumque te exhibeas ad omnes. S. Bernardus l. 12. in Cant.

Nulli parvus est census, cui magnus est animus; nec de rei familiaris modo mensura miserationis pendet, ac pietatis. S. Leo f. 2. de Quadr.

Tria sunt, quæ in misericordiæ opere optanda sunt Christiano: ut possit facere, ut velit, ut compleat. S. Chrysost. hom. de misericordia, & duab. mulier. vid.

Invidia in alienis bonis est tristitia; misericordia autem tristitia in alienis malis. S. Gregor. Nyss. l. 4. c. 12.

TITULUS XIX.

MISERICORDIA DEI.

§. I.

Figura, & Symbola.

Per dexteram.

Leva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Cant. 2. 6. Leva sponsi justitia est; quæ per timorem fuleit Ecclesiam, ne corruat in peccatum: dextera sponsi est misericordia; quæ per spem amplexatur, & consolatur Ecclesiam, ne desperet. *Sperantem in Domino misericordia circumdabit.* Hugo Card. hic.

Apparuit autem illi Angelus Domini stans à dextris altaris incensi. Luc. 1. 11. quia divinæ insigne misericordiæ deferebat. S. Ambros. Dominus enim à dextris est mihi, ne commovear. Pl. 15. 8.

Polyanth. Sac. Tom. II.

Et habebat in dextera sua stellas septem.

Apoc. 1. 16. Cur Joannes, cum describat singillatim omnia in Christo, solius sinistra mentionem non facit. Capillos, vestem, faciem, vocem, pedes, dexteram. Dextera significat misericordiam; & cœlestis regni redditionem, sinistra justitiam, & pœnam. Hinc in Judicio Electi ad dexteram stabunt, reprobi ad sinistram. Ideo hic Christus D. dexteram stellis fulgentem ostendit, sinistram occultat; quia maxime gloriatur de misericordia; & hanc omnium oculis declarat; rigorem autem justitiæ abscondit. Sylveira hic.

Posuit dexteram suam. Apoc. 1. 17. Hanc Deus suam vocat, non sinistram. Matth. 25. 33. *Statuet oves quidem à dextris suis, boves autem à sinistris.* S. Bernardus l. 2. de Ascens. sedet ad dexteram, habens in dextera

N 2

mis.